

SINAPISMUS AD PLANTAS PEDUM.

R. Fermenti acris, . . . } ana unciam unam & semis.
 Saponis Hispani, . . . }
 Seminis Sinapis, uncias quatuor.
 Salis Ammoniaci, drachmam unam.
 Herbæ Rutæ contusæ, . . . pugillum unum.
 Aceti acerrimi, quantum sufficit.
 Misce, & fiat Pasta.
 In soporosis affectibus plurimum confert.

CAPUT XXX.

DE VESICATORIIS.

Vesicatorium est medicamentum, quod externè impositum, cuticulam mortificat, & lymphæ intra cutim, & cuticulam collectæ, vesicula excitatur.

UNGUENTUM VESICATORIUM, SEU EPISPASTICUM.

R. Unguenti Pallidi, uncias tres.
 Cera Citrinæ, unciam semis.
 Pulveris Cantharidum, unciam unam & semis.
 Piperis nigri, seu longi, unciam semis.
 Misce secundum artem, & serva ad usum.
 Vesicas serositate plenas excitat, sale suo volatile acri, humores crassos, & stagnatos in apoplexia, lethargo, paralyfi dissolvit, attenuat, atque movet.

EMPLASTRUM VESICATORIUM.

R. Cerae Citrinæ, } ana uncias duas.
 Colophonix, }
 Terebinthinæ, }
 Olei Euphorbii, unciam unam.
 Igne liquatis, addantur
 Pulveris Cantharidum, uncias tres.
 Piperis nigri, seu longi, unciam unam.
 Misce secundum artem ad usum.
 Eosdem producit effectus, ac præcedens.

CAPUT XXXI.

DE CAUTERIIS.

Cauterium est medicamentum, quod externè applicatum, cutim, & carnem in duram crustram, seu scharam exurit, & convertit.

LAPIS INFERNALIS, SEU LUNA CAUSTICA.

R. Argenti Cupellati, unciam unam.
 Aquæ fortis, seu spiritus nitri, uncias duas.
 Omnia injiciantur in vase vitreo, ut argentum dissolvatur, tunc ad siccitatem evaporetur; dein lento igne in crucibulo fundatur, ut instar olei appareat, statim crucibulum ab igne separetur, & in conum fufforium effundatur, lapisque refrigeratus in vase clauso ad usum servetur.

Hic Lapis causticus est.